

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii
Regii Glauchensi

rgii
ts









Frankfurter Personalschriften.

168

Gedichte zu Hochzeit, Tod, Amtsantritt
usw. von Angehörigen der Universität und
Stadt Frankfurt a. O. Aus den Jahren
1592 bis 1648.

Ein Verzeichnis befindet sich im
alphabetischen Katalog des
Beautenzimmers.

19



Nv 827



2

NUPTIIS
CLARISSIMI VIRI
DN.
M. JOANNIS MOLLERI
scholæ Senatoriæ apud Fran-
cofurtanos RECTORIS,

Cum
Virgine honestissimâ, optimèq;
moratâ

ELISABETHA TECLERIA,

Reverendi & Clariss. Viri

Dn. M. CHRISTOPHORI TECLERI

Officialis quondam in Marchionatu inferio-
ris Lusatiaë meritissimi

Filiâ unicâ, uniceq; dilectâ,

CHRISTO AUSPICE
conciliatis,

Felicissima quæq; apprecantur

*Libet M. Joannis
Molleri Prof. Sit*

PROPINQUI, FAUTORES
& AMICI,

XXI. Januarij Anni 1639.

FRANCOFURTI

Literis

MICHAELIS KOCHII.

R

ES utraq; in vitio est, humanæ noxia genti,
Sera nimis nempe, & præcipitata Venus.
Nam nec amor constans, nec conversatio
grata,

Nec validus fætus nasci ab utraq; potest.

Sparta virum idcirco genitrix mulctare solebat,

Queis uxor nunquam serove ducta fuit.

Troæzenis verò vetuit quondam incolam Apollo

Præproperè in pingues spargere semen agros.

Te, mellite Nepos, cui sceptræ scholæ inclytus Ordo

Detulit, ingenium Musa acuitq; Themis,

Te nec serò nimis, nec præcipitanter adultæ

Nunc thalamum in castum virginis ire iuvat.

Ergò & amor constans, & conversatio grata

Exspectanda tibi, & vivida pogenies.

Quod voveo, esse ratas jubeat spes vota q; Numen:

Omnigena q; torum hunc prosperitate beet.

Fiet: Nupta suum si te statuet caput; illam,

Tu cordis plus quàm dimidium esse tui.

Sic certamen erit fidei inter vos & amoris:

Officium & faciet sedulo uterq; suum.

Quod tibi in optatis scio semper, SPONSE, fuisse:

Hoc itidem semper SPONSA precata fuit.

M. CHRISTOPHORUS NEANDER

arctis. necessitudinis impulsu, & debitæ
benivolentiæ contestandæ studio grātu-
labundus scribb.

P Habus quando suum nimio sudoris Alumnum
 Fervere sentiret, conficietur, ait,
 Restinguendus is est ardor. Veneriq; vocande
 Mercurium mittit, qua relevaret onus.
 Dumq; via ingreditur, fato ELISABETHA Puella
 Obvia, TECLERIO sanguine nata, venit.
 Aut Venus es, aut Te Venus haud præstantior, inquit,
 MOLLERO in thalamum quin ades, astra jubent.
 Substitit attonita, & frontem suffusa rubore est,
 Nec contra ausa DEUM, ducta manu sequitur.
 Eminus utq; Virum intuita, est sibi visa Thaletem
 Cernere, cum cælis sese animo illatebrat.
 Excit at antevolans meditantem Pronubus: ecquid
 Usq; fatigato niteris ingenio? (næ,
 Hoc meditandum etiam est, quod ament alterna Camœ.
 Musisq; austeris sit socianda Charis.
 Ecce Tibi hanc Venerem, Phœbo mandante, jugandam,
 Mitiget ut castis acta severa jocis!
 Suspiciens, sensim ad seseq; reversus Alumnus:
 Hæc Venus? Hæc, Nostra est ELISABETHA, VENUS,
 Cujus Amica Mihi jam dudum occurrit imago,
 Quam vigilans toties somnio, nocte cano.
 A sudore catenato ELISABETHA quietem
 Alternam, & Musis otia grata dabit.
 Mercurio arridens Phœbus, quàm faustiter, inquit,
 Res cadit. Haud moritur quando moratur Amor.
 Hæc simul ac fatur, nutante cacumine Pindus,
 Inq; chorus plausum funditur Aonidum:

Quàm bene PISTRINO quadrat Venus illa Scholari!
Lecti Ea, sed Ludi Vir moderator erit,
Ludus erit, Ludo hac cum Sub Rectrice præesse,
Et levior scholicus pulvere pulvis erit.
Natos nemo alios patientiùs instruit, ac qui
Natos ipse suos instruit, ardet, habet.

Doctissimo DN. SPONSO
sic applaudebat sterilis ac
benevola vena

TOBIÆ MAGIRI P. P.

Sanguis ut in corpus, per Venas ducitur, atq;
Spiritus reficit languida membra novis:
Sic hominum in Mentis sapientia vera per artes
Transit, & informat nescia corda, bonas.
Idcirco ut corpus nunquam sine sanguine posset
Vivere: sed subito mortis adiret iter:
Sic essent animi Sapientia & Arte carentes
Consimiles brutis, quæ ratione carent.
Est ergo attribuenda Viris laus optima doctis,
Informant Juvenes qui pietate rudes;
Hanc etiam Patres Matresq; merentur, ad Artes
Discendas qui dant pignora Conjugij,
At Tu Musarum Cultor MOLLE RE bonarum,
Eximius, duplici dignus honore, Vir es.
Dignus eras & eris præclarâ laude MAGISTER
Artibus instituens cerea corda bonis.
Sed laus major erit proprij cum chara videbis,
Conjugij, in coetu, corda sedere Tuo,

Quæ

Qua tibi dante DEO TECLERI NATA beata,
Afferet ex lumbis ELISABETHA Tuis,
Hac Te tunc Patris Praeceptorisq; vocabunt
Nomine, quae Mater basia mille dabit,
Et sic dignus eris duplici MOLLERE Brabeio
Quod labor in thalamo promeruitq; Scholis.
Gratulor ergo precans, Spartam quam nactus, ut ornes
Inq; toro, inq; Scholis, & sine lite regas
Sic acceptus eris Natis Pater, atq; Maritæ
Vir gratus, Rector discipulisq; bonus
Et post hanc vitam cœlestem laude coronam
Portabis, Tibi quam Numina sancta dabunt.

Erga desponsatos
Ex bona animi inten-
tione scripsit

M. THEOPHILUS EBERTUS
Archidiaconus.

Conjugium, quod inis firmatâ ætate, Deoq;
Consulto, sociæ qui vitæ est tutor & auctor,
Opto, AMITINE tibi, Musis & Apollini amice,
Ut blandum & concors longum perduret in ævum.
Quod si impetrabis cœlesti Numine, Cræsi
Divitiæ haut poterunt tibi quidquam adponere majus
Sunt etenim fortunati ter & amplius illi,
Copula quos dulcis tenet atq; irrupta, nec ullâ
Suspitione amor aut aliâ querimoniâ acerbâ
Divulsus citiùs supremo funere solvit.

SAMUEL NEANDER Reipubl.
Luccaviensis in Marchionatu infe-
rioris Lusatia p. t. Syndicus.

A 3

Infor-

Informando *rudes* pueros, formando *novellos*

Ædificare Scholas, est pietatis opus:

Alter & alterius labor est comes, absq; novellis

Haut potis est pueris crescere fama Scholæ.

Ergo prius forma pueros MOLLE RE novellos,

Pòst informa, quos ELISABETHA feres,

Pro tanto studio meritos captabis honores,

Crescet utroq; Scholæ fama labore tue.

M. ADAMUS ROMANUS.

Tunc manus etiam Veneri cognate dediti?

Æmulus & cultor qui Castalidum atq; Minervæ

Virginitas quibus est nullius gnara mariti

Quoi factum sic est? In te datur ire sagittis

Quandoquidem nullis, spernisq; Cupidinis arcum,

Sed puer Idalius quantumvis lumine cassus

Incauto infixit sua tela & spicula amoris,

Quæ potis extrahere est sola ELISABETHA, Magistri

Filia TECLERI, tam claro digna Parente,

Proficiat medicina tibi hæc & vulnera sanet,

Mitiget & Scholicus quem pulvis parturit æstum.

JOANNES NEANDER in

*Dicæarchiæ Neomarchiæ quæ
est Cústrini, Advocatus Ordini-
narius.*

NON adeo juvenis Phocæus amavit Oresten,

Euryalus Nisum, Thesea Pirithous:

Nec verò sese potuere parentibus iisdem

Progeniti Fratres plus adamare duo;

Atq; Ego TE, Tu ME constanter amavimus ambo,

Velle fuit nobis nolleq; semper idem.

Nec

Nec quæstus studium, nec pocula plena Lyco
Sed mores jungunt pectora nostra pares.
Et mihi parte tuâ non ulla est agnita culpa,
In simulare meam nec potes ipse fidem.
Nubilus ergo dies mihi Te sine quilibet ibat,
Ipse licet nitidis SOL veheretur equis.
Tu quoq; non poteras hunc dissimulare dolorem,
Copia si quando forte negata mei.
Tu plerumq; fori lasso clamoribus aspris,
Aure graves ferrem cum resonante logos;
Portus eras, in quo deponere tædia possem,
Jurgantum rixâ nata furente mihi,
Et reliquum juro tecum sepelire diei,
Et postrema Tibi lectio semper eram.
Tu rursus indomitæ strepitu & ruditate catervæ
Fractus, & in tacito pectore vulnus alens,
Respirare meis animi sermonibus ager
Visus es, inq; meo ponere cuncta sinu,
Atq; tui partem, (volui MOLLERE,) doloris
Solando FRATRIS more modoq; tuli.
Tu populo major mihi conversatio solus,
Et tibi ego semper concio tota fui.
Sic nos sæpe dies memini comburere longos,
Seria miscentes req; ferente jocos.
Quid magis optâssem crebrò quid tute vicissim,
Si voti illa mei res foret atq; tui.
Quam faber ille deum nos ut conflare camino,
Atq; duos unum fingere veller opus?
Hoc Siculo nobis poterat tam grande Tyrannus
Invidisse, volens tertius esse, bonum:

Nunc

*Nunc Ego complexu fidi divellor amici
Hac tamen est jussu fors toleranda DEI.
Nunc veterem novus audeat amor depellere, quaris
Consortem thalami dulcis amice tibi.
ELISABE foedus tecum TECLERIA sancit,
Omni aliâ potius foedus amicitia.
Integritas, candor, probitas, mens nescia fuci,
Et CHRISTI & sanctæ RELIGIONIS amor:
Hæc tua sunt omni possessio dignior auro,
Et spectata mihi & nota cuiq; bono,
Præditus his thalamum donis feliciter intra,
SPONSA tua his donis non meliora petet.
Non tu divitias spectasti in amore fugaces,
Lex suprema DEI sed tibi velle fuit.
Quo facis hoc Autore, preces cui sæpè litasti,
Prosperiter faciet cedere cuncta DEUS,
O faciat! thalamo vestro felicia dones
Omnia, sit voti hæc summa caputq; mei,
Te gestabo animo semper memor, Optime, cordis
Tu MOLLERE manes portio magna mei.*

CL. Dn. Sponso

*Amicissimo suo, fraternâ fide animiq;
ac voluntatis consensione conjun-
ctissimo fac.*

*MICHAEL KREBSCHMER Dicasterij
Electoral. Brand. Cüstrin. Advocat-
us Ordinarius, & Judicii Francofur-
tani Secretarius,*

Quod

Quod Auctor & Subscriptor Conjugij Ca-
stissimus calitùs secundet!

Siccinè jam tandem liberrima vendere colla,
Atq; jugò Thalami subdere colla libet?
Siccinè prevaluit **TECLERI** filia **ELISA**,
Illius ut castris nomina scripta dares?
Siccinè, Doctorum pulcerrima Gemma Virorum,
Ad tua me tandem Festa hymeneja citas?
Quàm vellem! notus tibi proni pectoris Ardor,
Atq; illibata Candor amicitia!
Ast prohibent funesta nimis, nimis horrida! Fari
Nomina Mens herret, tum meminisse grave est.
Quod votiva tamen potis est Præsentia; Votum
Suppleat, Absentis quod modò corde fuit.
Quam tot inante tuis votis, **MOLLERE**, petisti,
HELISABETHA cluat grata **DEO REQUIES!**
Nomen in omen eat, socij det fœderis Auctor,
GRATA sit ut **REQUIES HELISABETHA** tibi,
GRATA tibi **HELISABE REQUIES** sit, dulcis in omnè
Vitâ, stetq; ad nutum Tibi **ELISA** tuum.
Sit tibi, qua studiorum estûs nimiosq; labores
Lenierit blandò blandior alloquiò.
Sit tibi, qua Comitum casûs se jungat in omnes;
Seu fors leva ruat, sive secunda fluat.
Quin etiam his numeris superaddo! O Vitis abundans
MOLLEROS gignat **HELISABE** innumeros,
Audiant hoc celi Genitor! feliciter omnem
Defluat Eventum, sibi ritùs Opto. **VALE.**

B

Jo.

JOCO-SERIUM.

NÆ suspirando sociam tibi querere Amicam
Cunctatus satis es, Cultor ò EULOGIÆ!
Cunctatus satis es? Cunctando restituas REM;
Et cape, quam Sociam JOVA tibi sociat.
Quid dubitas? accede focum, MOLLERE, jugalem;
Frigida quò poteris membra fovere tua!
Hunc accede focum, quò plus satis igne calesces,
Constitueq; ignem sollicita! Instat Hyems.
Instat Hyems! Thalamis aptatas quare favillas;
Fac medijs gliscens pruriat Ignis aquis.
Sic Tibi, sic Sponsæ pariet RES mixta Calorem;
Ambobus qualis non in honoris erit.
Nec caret ista auctore suo (qui CRESCITE dixit
Humanumq; solò MULTIPLICATE GENUS:)
Cetera nùm vetuit? Vestrà VIRTUTE potenter
Ultimini; ò flammâ faustiter Ultimini!
Hec Vox digna fide est! Rides! Fac, SPONSE, periculum;
Qua nunc VIRGO tibi est; postmodò MATER erit.

Ita agebat properiter

JOHANNES Eysenmenger
Crosnens. Archidiaconus.

PHœbæas cupiunt pauci curare palæstras,
Quas communium habet Sapiens fundamenta rerum,
Et sine queis doctum penuria ubiq; virorum est,
Pro sanctis quoniam meritis ingrata receptant
Præmia, pauperiem, contemptum, tædia, morbos,
Ista DEI gnatus Præceptor singula novit
Cardiognosta pius, mundi; Monarcha supremus.
Paucos est nobis Crosnâ Silesius inter

MOL-

MOLLERUS Sophiæ dulcis, Musæq; Magister,
Qvi demandatam curavit amore bonarum.
Lingvarum hanc sacram virtutum, artisq; palæstram.
Jam ne succumbat, ludo recreatur amoris,
Legitimas manibus tædas ambabus adornans.
Rectè! haut vir gravis est, Nympham quicunq; fefellit,
Et qui consuevit plures ambire puellas
Perversa in variam deturbans pectora labem,
Is propriam sibi non audet duxisse puellam.
Virginis unius flagrat MOLLERUS amore,
Tanquam adamas ferrum, sua sic hunc attrahit ægle
ELISABETHA pio TECLERI sanguine creta.
Connubij auspicijs celsus benedicat JOVA,
Conjugij ludum, ludumq; Scholæ ipse gubernet,
Tam proba, quam dulcis conjux promanat ab isthoc:
Absit conjugibus mater discordia belli,
Ærumnas, si quæ intercurrant mentibus æquis
In sancta geniti patiantur imagine CHRISTI,
Hunc laceri involvant rigida ad præsepia panni,
Arida & huic humilem substernit plantula lectum,
Immò recens genitus ferri vim sustinet infans.
Dum spiramus adhuc, meliùs speremus, oportet,
Quisq; suos tristi manes patiamur in orbe,
Dum lati tandem potiamur culmine cæli.

Quin etiam ut docuit noster Collega colendus
Ingenui vultus cœtum, ingenuiq; pudoris:
Sic proprium doceat thalamum, conformet, & ornet,
Quem fabricam virtutum appellavere vetusti,
Extendat nomen proprium, adspirante JEHOVA,
Atq; sui similes natos, natasq; propaget.

M. ANDREAS EBERTUS secundus

à primo Francofurtanæ Scholæ Collega, & Senior.

B 2

Otia

Otia quæfisti Sponse inter Palladis artes,
 Nec tibi Palladio parva labore quies.
 Quid iuvat Themidos sacrata volumina mente
 Voluisse? Et morum nosse decora animi?
 Ora quid in varia consueſſe idioma a lingua?
 Pieridum iuvat quid coluisse chorum?
 Quid sudasse iuvat salebroſo in pulvere, pubes
 Subsultans glomerat quem petulante pede?
 Plena laboris rerum hæc sunt molimina; corpus,
 Enervant, onerant plena labore animum.
 Quare animum in Veneris tendis commercia, vitant
 Ut dulci requie subleuet illa tuam.
 Nec frustra es: tibi enim dulci blandimine forma
 ELISABETHA decens ducitur in thalamum,
 Cui placidos pietas motus sub pectore formas
 Et sedata quies mollia corda regit;
 Que vultum placidos componit mentis ad actus
 Et linguam leni mentis ab arte regit;
 Omnes qua librat gestus examine mentis
 Et facili motu singula membra gerit.
 Hinc tibi vera quies frustra quæſita labore
 Palladis, at Veneris dote parata venit.
 Macte animi obtendas hæc in solatia SPONSÆ
 Brachia, quæ facili Sponsula mente venit.
 Involvas placido pietatem pectore Sponsæ,
 Illius Et lenis mollia corda rege.
 Fronte serenata libes Sponse oscula Sponsæ,
 Nec tonet ad faciles horrida lingua sonos.
 Otia sic vitæ te Sponsum grata sequentur,
 Grata quies latum reddet Et usq; torum.

Ita novis nuptis ex animo gratulatur

SEBASTIANUS Krieger Hung.
 p. t. Scholæ Colonienſis Conrektor.

EST Schola Conjugium: Rector tener ille Cupido:

Discentes Vir sunt atq; Marita placens.

Qui legitur Codex, est mutuus ardor: In illo

Qui gnavus sudat, sat bene gnarus abire.

Osculor, amplector; primo discenda: Nec illa,

Quam fert Donatus, Lex odiosa placet.

Hinc, qui se dociles praebeant artisq; capaces;

Ad Fructum & Speciem non dubitanter eunt.

Ordo quidem Orbilio inversus censetur acerbo;

Sed non adversus, blande Cupido, tibi.

Nunc parilis Schola docte tibi, **MOLLERE**, probatur

Scandere dum thalamum, pulpita grata, paras.

Nempe Magisterium, quod habes tradente Minerva,

Nunc etiam auspicijs Arcupotentis aves?

Ardua vota capis, tamen haut cupis in via fatis

Et calidis precibus, quae grave cedit opus.

Osculor, amplector: fac Deponentia, quae sat

Monstrasti verbis, nunc opere ipse probes.

Sic Fructus Speciesq; placens tua vota laboremq;

Excipiant, sic te commoda mille beent!

Defectiva absint & anomala limine vestro,

Et se contineant codice, Prisce, tuo.

I nunc quo, Neonymphe, vocat te fors tua felix;

Applaudunt Charites Pieridumq; Chorus.

Desine pulverei (sic poscit **ELISA**) laboris,

Et scholice frontis nunc modo pone minas.

Εὐχαισῶν

fac.

Amico suo in viso quidem, sed per lite-
ras bene cognito & probato

M. MICHAEL Schirmer Lips.

Gymnas. Berolinens. p.t. Sub R. & P. L.C.

B 3

Auribus

Auribus ac oculis quisquis benè ducere novit
Uxorem, verè ille sapit. Cur auribus? omnem
Ejus ut explores vitam, quo nomine, quovè
Stemmata sit nata: an dives, pia, sedula, casta.
Cur oculis? Spectes, num sit formosa, tibiq;
Apta, domi maneatq; frequens, aut sæpè per urbem
Pruritu Veneris stimulata hinc inde vagetur.
Hoc tibi compertum satis est, Sponse optime, Nympham
Cum ducis, quæ more Patris virtutis amorem
Et pietatis alit verum; pulcherrima monstrat
Moribus usq; suis animi ornamenta pudici.
Ergò de tali Nympha tibi plaude **MAGISTER**
Quam non solum oculis duxti, sed & auribus. Hæret
Hæce tuo sanctè lateri insinuata, voluptas
Vitæ sola tuæ, rerum cultosq; tuarum.
O virtute pares Sponsos! O nomine claros!
O factum benè! juncta precor bona crescite Divum
Auxilio: sit verus amor, sit blandula proles,
Sit lætus cursus thalami, finisq; beatus.

Prop. adjecte

CHRISTOPHORUS EILERTUS
Selov. March. p. r. Svevo-Colon.
SubRector.

Egregiam certè laudem; & spolia ampla puella
SPONSE residentis Clarissime Marte furente
Deportas. Aliàs terris fermè omnia frigent,
Candida ne parcè pertentans gaudia pectus,
Planctibus at nimis opplemur, tristia sæcla!
Hinc & connubij non pauci vincula temnunt,
Quum ferat horridi rapidè vis cuncta raponis

Corpori.

Corporibus nostris heu! sufficientia alendis,
Igni Tu liciti tamen inflammatus amoris
Non renuis constans tadas celebrare jugales.
Is facturus enim qui novit tempora rerum,
Alternasq; vices qui solus temperat Orbe.
Cinxit abhinc annos aliquot Thybraus Apollo
Tempora, pervolites ut late docta virorum
Ora, tuas laudes obscuratura nec ulla
Ætas per dignas: Hodie Tibi castra petenda
Idalia Veneris, sic Te presta bis in illis,
Nomina MOLLERI ut per secula multa perennent,
Ne Thalamo, & studijs hostis Bellona fatiget
Vestrum factum, onero devotis æthera votis.

In honorem
Clarissimi DN. SPONSI
gratulabundus apposuit
GEORGIUS Wilde Lus.
Gymn. Berol. SubConR.

JUNONI quondam sæva sine felle litabant,
Expertes veri cognitione DEI;
Qui potius crebris votis precibusq; rogandus;
Conjugium ut solidâ pace beare velit.
Quid voveam *Fratri Frater* præstantius illâ,
Alma bonum secum PAX trahit omne tori.

Fratri charissimo
f.

GREGORIUS MOLLERUS
Crosnensis, Scholæ Patriæ
Cantor.

Multa

Multa tibi movère anni fastidia septem,
 Sudorem elicuit sapius agmen iners:
 Excipit aſt operas hodierno dulce moleſtas
 Lenimen plauſu, lux bona dura movet,
ELISABETHA tibi nubit **TECLERIA** Virgo,
 Qua vitæ ſocia eſt chara futura tue.
 Non equidem hæ Veneris ſunt, Frater amande, ſagitta,
 Nec reor Idalium perterebrâſſe fibras.
 Ocia ſi jugules, perière Cupidinis aſtus,
 Ocia diſpellit pulverulenta Schola,
 Nil hic juris habet Venus atq; Cupidinis arcus,
 Improbus hanc urit pectora caſta calor.
 Nempe **DEUS** caſti Nutritor & Autor amoris,
 Cordibus hæ veſtris ventilat ipſe faces.
 Ventilet, ut nitidos adoleſcant ſemper in ignes,
 Extingvi nullo qui crucis imbre queant,
 Combinet mentes Fidei ſic glutine veſtras,
 Ut mens ſit vobis una, ſit unus amor,
 Quos tibi miſcuerit calices Schola triſtis amaros,
 Alloquio edulcet nupta pudica ſuo,
 Optatum **ELISABETHA** habeat tua nomen & omen,
 Sit pia & in ſolo ſit requieta **DEO**.
 Quàm magis **ELISABETHA DEUM** tua, Frater, amârit:
 Tam magè te caſtâ diliget illa fide.
 Vivite felices, implete ſolumq; polumq;
 Pignoribus, Pylj vivite ſecula ſenis,

Sic gratulatur
 FF.

CHRISTOPHORUS MOLLERUS
 Scholæ Fürſtenvv. Con-Rector.

Dum

DUM studijs MOLLERE tuis, vivaq; novenas
 Non sine laude colis sedulitate deas:
 Dum bonus esse cupis, sapiens cupis esse, disertus
 (Hæc tria discentes quærimus) esse cupis:
 Humida ubi Viadrus redimitus tempora vite
 Cultori præbet musta bibenda suo;
 Grynæiq; Ducis resonant modulancia plectra,
 Et numeris mulcent saxa ferasq; suis:
 Istic objiciunt decimam tibi pronuba Musam
 Fata: piô ELISABETH totus amore cales.
 Hanc petis, hanc ambis unam: favet inclyta cœptis
 Pallas: amor niveus ridet; amica Venus.
 Illas fac Musas habeas MOLLERE diurnas:
 Hæc nocturna tibi TECLERIA, inquit, erit.
 Docta prement illæ semper tibi pulpita: lectum
 Tranquilli consors hæc premet una tori.
 Divitijs illæ superent & honore: beabit
 Hæc tibi mansuram posteritate domum,
 Hæc Venus; hæc eadem tibi Sponse precatur Amicûs:
 Sit tibi lætus honor, sit tibi foetus amor.

ANDREAS Fischer Crofn. Sil.
 Gymn. Col. Baccal. sup.

HENDECASYLLABI.

NOtâ si qua dies notanda Cressâ
 Et plectro memoranda latiore
 Notâ est hæc dies notanda Cressâ
 Et plectro memoranda latiori,
 Quâ sibi, Idaliâ monente Divâ
 MOLLERUS teneram jugat puellam

C

Sibi

Sibi TECLERIAM jugat puellam,
In cuius calidis calens lacertis,
Hoc sub frigiduli Jovis susurro,
Hoc sub horridula rigore brumæ,
Tutus frigoris hereat nocivi;
Cui tot basia basiet volenti,
Quot nec pernumerare curiosus
Possit, nec mala fascinare lingua,
Gaudium sibi queritans robustum,
O par nobile! par ter ô beatum!
O par nobile! par quater beatum!
Sponsus artis amans severioris
Vitæq; quietioris, annos
Primos Aonia dedit catervæ,
Ter felicibus hauriens labellis
Quam fons Mæonius scaturit, undam.
Post & Socraticâ rigatus, alma
Immisit Sophia novas habenas,
Et Demosthenis incluta arma quassit
Diserti studium secutus oris.
Nunc edoctus ad eruditionem,
Adq; Castalidum Patris diatam
Ituris preitat viam fidelis.
Queis verò pedibus canam puellam,
Quo melismate concinam Maritam;
Quam tot muneribus polus beavit?

Flammis sidereis micant ocelli,
Sua ves bellarosas labella fundunt,
Promunt purpureum gena ruborem,
Promunt lacteolum gena nitorem
Quid multa? omnis ei decorq̄, honorq̄,
Omnis mundities ei, ac venustas,
Et quicquid datur elegantioris
Pulchritudinis, omne ei, omne servit.
Hinc docto meruit Viro jugari,
Celebri meruit Viro applicari,
Venusto meruit. Viro osculari.
O par nobile! par ter ð beatum!
O par nobile! par quater beatum!
At tu summe poli, soliq̄, Rector
Nuptos hosce novo novos amore,
Nuptos hosce novo bea favore,
Et patri dato scitulos puellos.
Sed matri dato scitulas puellas,
Queis Patris decus, & celebre nomen
Queis Matris quoq̄, castitas, decusq̄
In seros vigeat recens nepotes
In claros vigeat recens nepotes.
Hac nostri, pia Nympha, summa voti
Devoti hac, pia Nympha, summa voti est.

Facti ab

ADAMO POLTZIO
Beltzigia-Saxone.

Discipuli est Præceptoris cognoscere amorem,
Pro studioq; ipsi munera ferre decet,
Quid Venerande tibi donem MOLLE RE Magister?
Offero pro donis vota secunda Tibi.
Nestoris ut vivas cum Sponsâ det DEUS annos,
Conspicias fructus conjugijq; Tui,

Honorando DN. Præceptorî

THEOPHILUS EBERTUS
Francof. March.

Tempore quo CHRISTI miraclo Ecclesiamagno
Personat, in vinum Canæ qui verterat undas
Munere tam lauto Sponsos dignatus egentes,
Tu tadas celebrare paras Venerande jugales
Præceptor, non fallor ego, datur omen ab isto
Temporis articulo; CHRISTUM, pie Sponse, vocâsti
Ante alios omnes, hic te conviva beabis
Summus & arumnas clemens solabitur omnes.

*Venerando DN. Præceptorî
gratulabatur*

ADAMUS EBERTUS
F. M.



































Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciburo.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,
Quos te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi sine fultus
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locupletem Suada,

SPIRITUS Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

BAPTISTAM ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

GEBELI! vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

IOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati praemia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

JANE mihi multo n nomine chara! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674





2

UPTIIS
 RISSIMI VIRI
 DN.
 NNIS MOLLERI
 natoriæ apud Fran-
 rtanos RECTORIS,
Cum
 e honestissimâ, optimèq;
 moratâ
 THA TECLERIA,
reverendi & Clariss. Viri
 STOPHORI TECLERI
 ndam in Marchionatu inferio-
 ris Lusatiæ meritissimi
 unicâ, uniceq; dilectâ,
 RISTO AUSPICE *Liber M. Joannis*
 conciliatis, *Molleri Prof. Sil*
 sissima quæq; apprecantur
 NQUI, FAUTORES
 & AMICI,
 . Januarij Anni 1639.
 FRANCOFURTI
 Literis
 CHAELIS KOCHII.